



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. III. Vtrum peccata redeant per lapsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

ris peccati Venialis alia perfectior requiratur, vel insuper aliud pium opus, v.g. oratio aliqua Ecclesiae, qua petitur venia, vel elemosyna, vel humiliatio coram nostro proximo, auditio, & oblatio Sacrificij Missae. Probabilitas Conclusionis inde colligitur, quod probabile sit, non sufficere quamvis attritionem, ut dixi Conclus. 3. nec etiam semper requiri perfectam Contritionem. Congruentia vltior est, quia Deus pro mortali vult sufficere perfectam Contritionem extra Sacramentum: ergo pro veniali videtur imperfectiore actu contentus esse. Quia verò vnum veniale est altero levius, congruum erat, etiam intuitu huius discriminis plus pro vno quam pro altero requirere.

Dices, attritionem sufficere extra Sacramentum Pœnitentiae, si conjungatur cum alijs Sacramentis, v.g. cum Eucharistia, extrema Vnctione, Confirmatione, &c. & sic adhuc salvetur, quomodo sæpè venialia dimittantur primò etiam sine mortalibus in Sacramento Pœnitentiae. Ergo non est necesse admittere, quod Attritio aliquando extra omnia Sacramenta sufficiat. R. Concedendo non esse necessitatem; sed tamen dico esse probabilitatem, quia sic melius intelligitur dictum Tridentini, quod extra Sacramentum Pœnitentiae multis alijs medijs deleantur venialia. Videtur autem hoc dictum non adstrinxisse ad solos casus quibus aliud Sacramentum frequentatur, alioquin hoc probabilissimè monuisset. & cur non accessio aliorum operum piorum possit supplere insufficientiam attritionis? & hæc est expressa mens S. Thomæ q. 87. a. 3. in C.

Certum præ alijs remedium est Eucharistiae sumptio, juxta Trid. sess. 13. c. 2. cujus elegantem rationem reddit Lugo, quod etiam amici terreni soleant in convijs leviores offensas dimittere, & quod de ratione cibi sit reparare, quæ per continuum contritorum pugnam deperdimus. De alijs Sacramentis & remedijs plura videri possunt apud Suarez, Lugo & alios.

CONTROVERSIA III.

Virum peccata redeant per lapsum.

948. Status questionis est, an postquam peccata remissa sunt quoad reatum culpæ, & titulum odij, si homo de novo peccet, redeat reatus culpæ, & titulus ille odij, ita ut Deus odio habeat non solum ratione peccati de novo commissi, sed etiam intuitu peccatorum priorum, & semel dimissorum. Affirmarunt antiqui aliqui vniuersim, ut Hugo de S. Victore, Gratianus, Guilielmus Parisiensis, & inclinabat Magister sent. apud Vasquez q. 88. a. 1. n. 3. aliqui apud S. Bonavent. limitarunt ad quatuor genera peccatorum, per quæ volebant redire priora peccata, quæ hoc verbum comprehendebant:

Fratres odit, Apostata fit, spernitque fateri.

Pœnituisse piget, pristina culpa redit. Aviter sunt hæc quatuor. Odium & crudelitas proximum: Apostasia: Contemptus Confessionis: Desertio seu improbatio factæ aliquando pœnitentiae.

Dicendum est, peccata non redire, postquam semel dimissa sunt. Conclusio hæc quoad questionem facti, seu defacto, est jam in causa, ut aliqui eam existiment esse de iure. Probatur maxime ex Gelasio Papa, in cap. divina, de pœnit. dist. 4. Divina, inquit, Clementia dimittit peccata in vltionem redire non patitur. S. Prosperus S. Augustini discipulus, ad capitula Gallorum in resp. ad. 2. Qui, inquit, recedit à Christo, & alienus à Gratia finit hanc vitam, quidni in pœnitentiam cadit? sed non in quod remissum est, recidit.

Probatur deinde partim ratione, partim ex Scriptura. In Scriptura dicitur Deus pœnitentibus simpliciter remittere peccata, sicut qui alteri debitum aliquod condonat: atqui debitum absolute condonatum non redit per contritionem novi debiti: condonatio autem condonatio, nisi novum debitum contrahatur; non est simpliciter condonatio, sed est suspensa vsque ad eventum conditionis. Ratio huius Conclusionis robustatur ex dicendis de potentia absoluta.

949. Obijciunt præcipue parabola Mithæ, ubi servus crudelis in convivium suum, trahit tortoribus, donec reddat vniuersum debitum, quod paulò antè erat dimissum. P. Arriaga rejiciens alias interpretationes putat esse intelligendum de debito de novo contracto, quod dominus exegit. Sed hæc interpretatio indest textui, & est contra sensum DD. qui omnes intelligunt de debito prius condonato.

Tres sunt interpretationes. Prima, quod redeat prius debitum virtualiter & secundum quid, quia ratione ingratiitudinis subsequens peccatum sit gravius peccatum, & ita occasione peccatorum dimissorum crescit pena posterioris peccati. Hanc interpretationem amplectuntur aliqui RR. non tamen in eo rigore & sensu, quo antiquiores aliqui, quorum meminit Magister sent. apud S. Thomas q. 88. a. 3. in 1. arg. & in C. quæ circumstantia ingratiitudinis tanta sit malitia, quanta erant simul omnia peccata præcedentia remissa, ita ut reus huius circumstantiæ sit reus æquivalenter totius odij & vindictæ, cujus esset, si nunquam priora dimissa fuissent. Hæc opinio est falsa & refutata à S. Thomæ; sed sensus interpretationis est, quod circumstantia ingratiitudinis augeat aliquantulum & secundum quid gravitatem peccati post justificationem commissi.

Secunda Interpretatio est Vasquezij, scilicet speciale hoc peccato crudelitatis, reus ratione illius permittat hominem labi in peccata vel tam gravia, ut adæquet debitum eorum prius remissarum.

Tertia interpretatio est Maldonati, quæ approbat P. Dicastillo, Christum Dominum legem

In parabolis aliqua posuisse facta, non quod facta approbaret, sed quia fieri solent, & serviebant Christo ad obtinendum scopum parabolæ. Sic etiam Luca 16. Laudat Christus astutiam Villici in dimittendo per fraudem debito domini sui, quia ita solent facere seculares, non quod Christus approbaret, sed quia serviebat ad scopum suum, hoc est, ad declarandum, quod Deus etiam sit severus & immisericors in immisericordes.

Ego, salvo meliore iudicio paulò aliter interpretaretur, & dicerem, esse applicandam parabolam & factum Regis Deo, quantum seclusis imperfectionibus fieri potest, hoc modo. Rex ille dimittit debitum servo, sed ex ignorantia eventus & crudelitatis futuræ, quia si scivisset futuram crudelitatem, non dimisisset, adeoque inspecto affectu Regis, fuit donatio implicitè conditionalis, sicut dicunt Juristæ, posse defacto de nationem revocari ob ingratitudinem, & quod hæc conditionalis videatur semper inesse donationi. Jam verò quia in Deum non cadit ignorantia futurorum, neque Deus elicit actus voluntatis conditionales, quando videt conditionem non ponendam, essent enim supervacanei, ideo in Deo debet ita intelligi, quod scilicet Deus hominibus crudelibus non dimittat peccata, negando auxilia congrua ad penitendum, quæ tamen non fuisset negaturus, si crudelitas abfuisset. quare in ordine ad puniendam crudelitatem supervenientem alijs pluribus peccatis, perinde est in effectu, si denegentur postea auxilia penitentiar, ac si penitentia peracta fuisset, & tamen peccata ob crudelitatem redissent. Posset etiam intelligi non de negatione auxiliorum penitentiar, sed de condonatione pænæ temporalis residuæ, quam Deus fuisset condonaturus, si ille homo fuisset in fratrem Misericors & liberalis. Et hoc suaderi posset ex verbis ipsius parabolæ: tradidit enim dominus tortoribus, quoadusque solveret univèrsum debitum: ergo debitum erat finitum & solubile, qualis non est pænna inferni. Sed, ut dixi, non omnia quæ ponuntur in parabolis debent ad amulum posse applicari veritati, ad quam docendam parabola est instituta.

950. Restat breviter videndum, an de potentia absoluta possit peccatum absolutè dimissum redire quoad reatum culpæ. Affirmant Scotus, Valentia, Thomas Hurtadus, Arriaga, & probabile putat Conink.

DICO 2. Non posse redire. Ità Vasquez, Iugo, Dicastillo, Pallavicin, Esparza. Probat. Ut peccatum habituale semel destructum rediret, deberet redire aliqua pars illius, per cuius destructionem destructum est: sed nulla potest redire: ergo &c. Minor probatur in duplici sententia circa peccatum habituale. Si enim constituamus in peccato actuali præterito cum negatione condonationis, clarum est non posse redire, quia non potest fieri, ut negatio condonationis, quæ per condonationem est formaliter destructa, redeat,

quia factum infectum fieri nequit: ergo semper deest una pars peccati habitualis, nempe negatio condonationis: ergo non potest redire, quia totum non potest esse sine suis partibus. Si verò dicamus, peccatum habituale consistere in privatione Gratiæ, posita dependentèr à peccato actuali præcedente tanquam causa adæquata, iterum clarum est, peccatum destructum non posse redire per sublequens peccatum: jam enim poneretur privatio gratiæ dependentèr à novo peccato tanquam causa proxima: ergo peccatum præcedens non esset causa adæquata: ergo non rediret peccatum habituale destructum, sed aliud poneretur.

Objicies. Potest quis abdicare à se jus sub modo (ut loquuntur Juristæ) hoc est cum adjecto pacto seu conditione, ut si hoc vel illud fiat, redeat illud jus, v. g. possum donare fundum alicui, sed cum hac conditione, ut ipso defuncto redeat ad me jus fundi. ergo etiam potest Deus abdicare jus ad odium propter peccatum A, sed cum hac adjecta conditione seu modificatione, ut si de novo peccet homo, redeat jus ad odium propter peccatum A. Respondetur negando consequentiam & paritatem. disparitas est hæc. Jus ad fundum potest redire semel destructum, quia potest dari novus titulus ex quo resurget tale jus: nam eadem res potest acquiri sapius, sed semper ex novo titulo: v. g. fundus jam est meus ex donatione, emptione, hereditate &c. si illum vendam, definit esse meus: si iterum emam, iterum est meus titulo emptionis. Sic in casu posito, antequam fundum donarem, habebam jus v. g. titulo hereditatis, postea verò quando donatarius moritur, acquirō jus non titulo hereditatis (qui jam est extinctus) sed titulo conventionis inter donatorem & donatarium: ergo jam est aliud jus, quàm jus prius, nam *Titulus* & *Jus*, sunt realiter idem, & tantum sunt diversa vocabula. At verò titulus & jus ad odium propter peccatum A non potest esse aliud, quàm ipsum peccatum A, existens; quare si semel hic titulus est destructus, non potest redire jus ad odium propter peccatum A, quia non potest redire ipsum peccatum A.

Quare autem reviviscant merita mortificata, & non peccata, constabit ex dicendis sequenti controversia.

951. Disputant hoc loco aliqui, an per accidens peccato mortali in hac vita dimisso quoad culpam & pænna eternam, correspondeat aliquando in inferno pænna æterna. Resolvi hanc quæstionem lib. 2. & respondi negativè. Nunc invenio in M. S. Recentioris Hispani quæstionem eodem modo resolutam: sed insuper refert varias adversariorum explicationes illius particulæ, *Per accidens*, quæ putant se satisfacere argumentis, quibus probatur, talem punitionem fore iniquam, quas explicationes quia apud auctores impressos non invenies, & ab eodem Recentiore solide rejiciuntur, ideo eas ex eodem referte non pigebit. Imprimis ergo dicit, nescire se, cujus significati-

tionis sit illa part. *Per accidens*, in presenti materia, praesertim cum illa apud suos Auctores tertio quoque die significationem mutet. Deinde generaliter illam particulam impugnatur. Qui quid enim illa vox significet, implicat contradictionem, poenam ut 4. debitam peccato A. ex conjunctione cum peccato B. fieri poenam ut 8. debitam peccato A. ultra debitam per se peccato B. ergo ly. *Per accidens* est merum vocabulum sine re. Antecedens patet, quia unumquodque peccatum etiam actuale tantum punitur secundum suam gravitatem, & malitiam: unde quando unum non est circumstantia augens malitiam alterius, vel accipiens ab alio augmentum malitiae, etiam conjunctum cum alio aequaliter punitur, & non plus quam puniretur non conjunctum. Ratio a priori est, quod mensura poenae infligenda pro delicto, sit sola gravitas delicti: unde conjunctio omnino per accidens unius delicti cum alio non augens malitiam unius, non augeat poenam illius. Quod si hoc accidit in peccatis actualibus concurrentibus, idem dicendum erit de peccato habituali jam dimisso quoad culpam, & perseverantem solum in debito poenae temporalis.

Secundo. Jus ad odium & inimicitiam natum olim ex peccato, neque per accidens resurgit, si semel dimissum fuit, ex conjunctione cum alio non dimisso: ergo neque jus ad poenam aeternam olim natum ex eodem peccato redibit ex conjunctione cum peccato non dimisso.

Tertio, vel Deus cum dimisit poenam aeternam, illam dimisit absolute, & donatione absoluta, vel tantum sub conditione: nisi homo iterum peccet. si dicas primum, est impossibile quod peccatum redeat quoad poenam aeternam, ut constat ex dictis: si dicas secundum, poena non redit per accidens, sed per se, sicut merita post recuperationem gratiae non obtinent premium per accidens, sed per se, ut dicam contr. seq.

Videamus jam explicationes illius particulae *Per accidens*. Primum ergo aliqui dicunt, ly *Per accidens*, significare, ratione fori in quo punitur. Sed contra urget iste Recentior. Illud forum nil est aliud quam divinum Judicium & tribunal: divinum autem Judicium ratione sui non potest punire hominem ultra illam poenam, cujus est dignus ratione sui, neque potest hominem semel factum liberum a poena aeterna, iterum facere obligatum aeternae poenae.

Alij rō *Per accidens* exponunt, ut idem sit, ac *Ratione status*. [Sed rogo, (subdit iste Recentior) quisnam fecerit illum iniquissimum statum? praeterea ille Status quid est aliud, aut quae praedicata & proprietates habet, nisi esse divinae Sententiae executionem justissimam? ergo cum dicis, reum per se, & ex se poenae tantum temporalis, fieri reum poenae aeternae ex solo decreto, & Sententia judicis, idem est ac dicere, Deum Sententiam suam decretoriā, & definitivā exigere poenam ultra condignum; Sententia enim condemnatoria Judicis, non facit hominem reum, sed supponit nec

confert illi dignitatem ad poenam, sed exigit poenam condignam, eam commensurando ipsi reo. Haec ille Recentior. Ego tamen existimo, quod illi qui ita respondent, aliud intelligant per *poenam status*, nempe Statum damnationis: dicit enim ideo redire poenam aeternam, quia cum reo justē sit damnatus ob peccata non remissa, hoc est, quod non sit dignus ullius poenae remissionis, & quia per accidens est, quod sit damnatus, hoc per accidens punitur poena aeterna propter peccatum remissum, cujus poena aliqua est remissa, sed contra. Quia hac explicatione non declaratur, quomodo non puniatur ultra condignum, solum per accidens. Deinde poena temporalis non debet cessare per affectum Dei beneficium, sed cessat per satisfactionem absque liberali conatione: non est ergo opus aliqua dignitate, quae Deus respiciat in remissione debiti, sed solum sola potentia sustinendi poenam redendam.

CONTROVERSIA IV.

Quomodo per Poenitentiam merita reviviscant.

952. **Q**ueritur, an per Poenitentiam ita possit reviviscant merita, ut quae praecesserunt, & erant facta in Statu Gratiae, adeoque an redeat, & restituatur omnis poena Gratiae habitualis, quam ille homo per peccatum mortale perdidit, & quidem non tantum poena quam acceperat ex meritis propriis, sed etiam quam acceperat sine propriis meritis, ut in baptismo.

Merita in aliquo sensu reviviscere certum est hodie apud Theologos, post S. Thomam. Verum in quo sensu, & cum quo effectu seu in rebus ad quem effectum ea redeant, est controversia. Reditus ergo meritum, praescindendo poenam modo & effectu, colligitur ex epist. ad Galatas. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa*, quod locum pro reviviscencia interpretatur PP. et passim apud AA. videri possunt, sicut & aliae probationes, ob quas censent DD. ad minimum temporarium futurum, reviviscencia meritum penitus negare. Quo autem modo, & in oculis ad quem effectum reviviscant, est discutendum, & deinde solvenda objectiones, ac reddenda ratio discriminis, cur merita reviviscant, non temporaria.

Prima Sententia fuit quorundam, merita tantum reviviscere in ordine ad aliquod gradum accidentale, quo gaudent beati de talibus meritis elicitis. Huic Sententiae adeo faveat S. Thomas q. 89. a. 5. ad 3. ut Suarez existimet, cum non potest in bonum sensum explicari, quod an ita sit, ut discutiant. Sententia haec rejicitur ab contrariis.

Secunda Sententia est, reviviscere quidem merita in ordine ad premium substantiale, sed